Quelle: https://manuscripta.at/?ID=1002
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



84 16

multiplicares semen eorum sicut stellas cæli et sicut a-
renam quæ est in litore maris. Quia domine minores
sumus plusquam omnes gentes. Sumus enim hodie
humiles in universa terra hodie propter peccata nostra. Et non est in
tempore hoc princeps et propheta et dux neque holocaustum neque sacrificium
neque oblatio. neque incensum. neque locus primitiarum
coram te ut possimus invenire misericordiam: sed in a-
nima contrita et in spiritu humilitatis suscipiamur
sicut in holocausto arietum et taurorum. et sicut
in milibus agnorum pinguium sic fiat sacrificium
nostrum in conspectu tuo hodie ut placeat tibi. quia non con-
fusio confidentibus in te. Et nunc sequimur in toto
corde: et timemus te et quærimus faciem tuam. ne
confundas nos: sed fac nobiscum iuxta mansue-
tudinem tuam et secundum multitudinem misericordiæ tuæ: et e-
rue nos in mirabilibus tuis et da gloriam nomini
tuo domine et confundantur omnes qui ostendunt
servis tuis mala. Confundant in omnipotentia
tua. et robur eorum conteratur. et sciant quia tu es
deus solus et gloriosus super omnem terram domine dominus
Tollite hostias et introite in atria eius adorate dominum in
aula sancta eius Benedicant dominum omnes angeli eius et in templo
eius omnes dicent gloriam Secundum iohannem
In illo tempore. Cum audissent quidam de turba sermo-
nes eius dicebant. Hic est vere propheta. Alii dicebant
Hic est christus. Quidam autem dicebant. Numquid
a galilea christus venit? nonne scriptura dicit. quia de
semine dauid et de bethlehem castello ubi erat da-
uid venit christus? Dissensio igitur facta est in turba
propter eum. Quidam autem ex ipsis volebant apprehende-